



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

52 Ordinis fratrum Humiliatorum extinctio

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

postolicam pleno jure pertinere, & spectare, ac bona quaecunque eorundem sub spoliatorum nomine comprehensa, per ipsam cameram, ejusque nomine à quibuscunque illa, quandoque occupantibus, & detinentibus recuperari ac vendicari posse, ac juxta Pauli Papæ III. & aliorum Pontificum litteras eadem camera Apostolica in hujusmodi bonis spolia nancupatis verè, & universaliter succedere Greg. Papa XIII. Apostolica auctoritate declaravit, *ut in litteris ejusdem Gregorij sub die 21. Januarij 1577. expeditis, de quibus in Bull. Rom. c. 44.*

Et Pius V. de sanct. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consensu, & de potestatis plenitudine, † extinxit, & abolevit ordinem fratrum Hamiliatorum, & officium Præpositi generalis, ac provincialium, & quæcunque alia ministeria ordinis sic suppressi, nec non omnia, & quæcunque statuta, consuetudines, & decreta ejusdem, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quacunque firmitate munita, privavitque Generalem, ac cæteros omnes Præpositos, & fratres, omnibus Præposituris, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis ecclesiasticis, cum cura & sine cura, nec non domibus, conventibus, locis, & bonis, immobilibus, mobilibus, & se moventibus ubicunque gentium constitutis, sacra quoque, & communi suppellectile, ac ipsorum omnium usufructu, administratione, ac possessione spirituali, & temporalis, ac etiam jure, & actione, sive per statuta Apostolica, sive aliàs quomodolibet pertinente, ac eis abstulit omnimodam facultatem, usum, & auctoritatem, generalia, provincialia, & alia capitula de cætero ce-

lebrandi, *ut in constit. ejusdem Pij V. de qua in Bull. Roman. c. 122. & idem Pius præpositus, ac aliis ejusdem extincti ordinis dignitatibus, & beneficiis aliis ecclesijs, & pijs locis unitis, ac aliàs de illis dispositio, † fratribus ejusdem extincti ordinis singulorum eorundem fratrum alimentis pensionem annuam liberam immunem, & exemptam scutorum quadraginta auri annis singulis percipiendam, eorum vita durante, super eorumdem beneficiorum fructibus distribuit, & auctoritate Apostolica assignavit, † ac omnia beneficia ejusdem ordinis sic suppressi Sedi Apostolicæ duntaxat specialiter, & expressè in perpetuum reservavit, ut in litteris, de quibus in Bull. Roman. ejusdem Pij V. c. 123.* Et, quoniam quampluribus dicti extincti ordinis fratribus fuit postea Apostolica, aut alia auctoritate de aliis beneficiis provisum;

Quæritur, & numquid bona eorundem decedentium, post ejusdem ordinis extinctionem ex redditibus ecclesiasticis acquisita, cadant sub eodem spolio, sub quo cadunt alia bona per apostatas extra eorum ordines & religionis acquisita: & ratio dubitandi oritur, quia, cum ipsi postmodum extra claustra, & obedientiam religionis vixerint, videtur, quod sub constitutione ejusdem Gregorij XIII. & aliorum Pontificum contra apostatas editas comprehendantur; at tamen, cum dicta constitutio Gregorij Papæ XIII. de qua in Bull. c. 44. & aliorum Pontificum suorum prædecessorum contra apostatas edita expressis verbis comprehendant regulares professos extra claustra suorum regularium locorum, etiam de licentia suorum superiorum degentes, *ut in d. constit.*